



Stochflecke

G. J. 1700

Thes. P. VIII. 367 641.



13  
EXPLICATIO

ἑλεγκτικὴ

Evangelii Dominicæ Septua-  
gesimæ.

Quam

DUCE JEHOVA.

P R E S I D E

Dn.

JOHANNE GERHARDO  
SS. THEOL. DOCT. ET PROFESSORE

eximio, Academiæ Salanæ p. t. Rectore

Magnifico, & Facultatis Theolog. Decano  
spectatissimo.

Suo

Præceptore, Fautore & Patrono colendissimo,

Publicè

*ad disputandum proponit*

M. TOBIAS HERMANNUS

MEMMINGENSIS Suevus.

*Ad diem 20. Decembris.*

ANNO M. DC. XVII.

J E N Æ

Typis TOBIÆ STEINMANNI.



VIRIS

*Nobilitate, Splendore, Experientia,  
generis, Virtutis, rerum,*

PRÆCELLENTISSIMIS:

Dn. GEORGIO Ehinger;

Dn. SAMUELI Zenisch:

Dn. TOBIÆ Heinkel.

Inclytæ Imperialis Reipub. Memming,

CONSULIBUS

*Amplissimis, Prudentissimis, Digniss.*

UT ET

SENATORIBUS EJUSDEM:

NOBILIBUS,

*Gravissimis, Meritissimis, Integerrimis:*

SUIS

*Mecœnatibus, Patronis, Fautoribus,  
benignissimis, colendissimis, certissimis.*

Disputationem hanc ἐλεγμικὴν

*Ingratitudinis signum, novi anni felix  
auspicium & studiorum testi-  
monium*

OFFERT

*M. Tobias Hermannus Memmingsis,  
Autor & Respondens.*





I. N. D. N. I. C.

# EVANGELIUM DOMINICÆ SEPTUAGESIMÆ.

*Matth. 20. à vers. 1. ad 17. usq.*

THESIS PRIMA.



**E**cclēsiā in his terris laboran-  
tem multis adversæ fortunæ telis esse exposi-  
tam, præter dicta Scripturæ, & experientiæ  
testimonia comprobant figuræ, quibus illa  
cū in V. tū in N. T. assimilatur. Cum  
n. nondū in regno cœlestis mansionis trium-  
phet, sed in via molestæ peregrinationis labore, gravis viatorū  
fors manet eam perpetua; usque dum cœlestem patriam (ad  
quam per varios casus, per tot discrimina rerum, tendimus)  
ingressa fuerit; ubi omnis viatorum dolor tolletur & labor:  
pro aliis & cœpis Ægyptiacis Manna de cœlo; pro panibus in  
deserto cibus, qui in æternum manet; pro corporalibus malis  
cœlestia subministrantur bona.

II. Latebat hæc Ecclesiæ fortuna in arca Noæ, ab aquis  
diluvii hinc inde agitatâ Genes. 6. v. 14. c. 7. v. 18 in pulcherri-  
ma Rosâ inter spinas enascente Cant. 2. v. 2. In naviculâ minan-  
te interitum Matth. 8. v. 23. 24. In agro zizaniis referto Matth.  
13. v. 26. In muliere parturiente Apoc 12. v. 2. & aliis similitu-  
dinibus pulcherrimis. Inter quas facile principem tribuimus  
locū Nobili illi de vinea quam Magnus Propheta Deut. 18. v. 15. & 18.  
Christus Jesus, cœlestis Patris delitiæ Matth. 3. v. 17. In hoc nostro  
Evangelio proponit; idq̄ propter veteris & N. T. *συμφωνίας* Ps. 80.  
vers. 9;



v.9. Cant.2.v.15. Es.5.v.1.2. Jer.2.v.21. Matth.21.v.33. Joh.15.  
v.1.2. propter vinea & Ecclesiae ἀναλογία: propter fructus utriusque  
praestantiam & suavitatem.

III. *Vinea* non est locus in campo, qui omnibus pateat,  
sed conclusus, in quem nemo, absque Vinitoris gratia, pervenire  
potest: Sic *Ecclesia*, Cant.4.v.12. Joh.6.v.44. *Vinea* non natura  
sed arte conficitur: sic *Ecclesia* non natura sed verbo & Sacra-  
mentis, Gal.3.v.26.27. *Vinea* pluvias sitit, radios Solis expetit  
& aurae temperaturam delectatur; *Ecclesia* verbum Domini Esa.  
55.v.10.11. Solem justitiae, Christum, Malach.4.vers.2. Spiritu  
veritatis Joh.16.vers.13. *Vineae* vites ligamentis pedamentis alli-  
gantur; *Ecclesiae* vites Christo fide & Sp. S. gratiam Eph.4.v.3.5.  
*Vinea* sepimento cingitur; *Ecclesia* Angelorum custodiam Zach.  
2.v.5. *Hostes vineae* vel fraudulentum sunt, ut vulpes; vel violenti,  
ut apri; *Hostes Ecclesiae* vel astutae vulpeculae, ut Calviniani; vel  
violenti haeretici ut Pontificii, & apri spumantes, ut Turcae, &c.  
quorum illi fraude irrepere; hi vero vi irruere satagunt, Cant.  
2.v.15. Pl.80.v.14. *Vinea* fructus Deos & homines exhilarat  
Jud.9.v.13. Sic & *Ecclesiae*, Gal.5.v.22. Eph.5.v.9.10. Philip.1.v.  
11. Sed de his alii uberius.

IV. Antequam autem ipsius parabola, de vinea expli-  
cationem suscipiamus, notanda sunt quaedam parabola hujus  
παραβολαί, quae ipsi rei haut exiguam afferunt lucem: ut sunt  
1. χρόνος, 2. καὶρός, 3. τόπος, 4. σκῆτος τῆς παραβολῆς: tempus quo  
parabola fuit proposita; quae parabola fuerit, occasio: in quo  
loco, & in quem finem fuerit proposita.

Tempus.

V. *Tempus*, quo Christus parabolam hanc discipulis suis  
proposuit, non omnibus idem notatur. Quidam enim, ut Jan-  
senius, & Franciscus Lucas, ad finem ferè tertii, Ministerii  
Christi visibilis, anni referunt, uti in illorum commentariis in-  
Evangelistas videre licet: sed commodior nobis videtur sen-  
tentia illorum, qui concionem hanc parabolicam ad quartum Mi-  
nisterii Christi annum rejiciunt, & quidem ad tertium circiter  
vel ultimum illius mensem. Postquam enim Christus ulti-  
mam concionem de Pharisaeo & publicano in Galilaea habuit,  
transiit in *Perea*, per quam non recto pede Hierosolymas pe-  
tiit, sed *Ecclesias* ibi visitavit Marc.10.v.1. Matth.19.v.2. ubi  
memo-



memorabiles conciones proposuerat: Examen de perfecta im-  
pletione legis: doctrinam de divitiis: deniq; de præmiis bo-  
norum operum, addita gravissima admonitione contra fidu-  
ciam meriti eorum. Et hæc fuit postrema concio Christi in Pe-  
ræa. Vid. Harm. D. Lyseri lib. 5. part. prior. c. 116. p. 3. c. 132. p. 228.

*Locus.*

VI. *Occasionem* Christo dederat Petrus suo & Collegarum  
nomine ipsum interrogans; *Ecquid præmiū sint reportaturi, eò*  
*quod omnia* (casas puta, retia, contos & alia paupertatis instru-  
menta) *Christi causa reliquerint?* Quibus Christus breviter re-  
spondit; illos qui sponte omnia Christi causa perdidit, et-  
iam in hac vita feliciores fore, quam si integri stetissent, præci-  
pua verò mercedem illis in cælo esse repositam.

*Occasio.*

VII. Ex quibus nunc *scopus*, ad quem parabola collimat,  
genuinus ultrò sese offert. Splendidissima enim promissione  
facta discipulis de bonorum compensatione & æternæ vitæ  
hereditate, Christus epiphonemate in c. 19. posito & per para-  
bolam c. 20. probato discipulos docet: *Patrem suum cœlestem nihil*  
*propter operum meritum conferre, sed per bonitatem suam benefacere il-*  
*lis, qui non propriis meritis nituntur, nec passiones suas jactant, sed mise-*  
*ricordiæ Dei unice confidunt: item docere voluit, ne, qui Christum se-*  
*qui ceperunt, ad bona sua, si ad pietatem obstitunt ut Chrysostom. &*  
*Theophyl. loquuntur, respiciant, cum facile fieri possit, ut quidam in medio*  
*cursu deficiant & ex primis fiant novissimi.* Hoc probatur. Quia para-  
bola hæc mediatè opponitur juveni legis impletionē omnimo-  
dam jactitanti c. 19. v. 20. *Quia* opponitur Petro, qui, ex respon-  
sione Christi ad juvenem, sinistrè intellecta, magnam se, rescu-  
larum suarum desertione, mercedem esse pro merito colli-  
gebat: *Quia* meriti dignitatem fingentes rejiciuntur v. 12. 14.  
*Quia* primi fieri possunt novissimi, & novissimi primi. Consen-  
tiunt Calvinus in Harm. Evang. p. 249. Flaccius in Matth. pag.  
87. Granatensis Jesuita, in Epit. Conc. pag. 124. *Tota, inquit,*  
*parabola hæc potissimum spectat, ut liberalitatem & libertatem Domini*  
*in donorum suorum distributione demonstret.* His similia habent Sal-  
meron tract. 33. Comment, in Evang. Jansenius cap. 101. conc.  
Evang. p. 63.

*Scopus ge-  
nuinus.*

VIII. Scopo igitur aberrant i. qui (referente Calvino *Scopi erro-*  
*Har. p. 249, Col. 1.*) arbitrantur, *Christum hic primariò æternæ vitæ nec,*  
*aquali-*



æqualitatem probasse. 2. qui de externo regno interpretantur, Discip. de temp. serm. 33. 3. qui bonorum operum, ad consequendam salutem, necessitatem doceri autumant Stapleton. Prompt. Moralis Dominic. Sept. text. 2. 4. qui putant doceri Ministrorum N.T. præminentiam, quæ Ministris V.T. negabatur Salm. tract. 32. p. 210. col. 2. 5. qui existimant hunc esse scopum, quod, quemadmodum hi, qui primi venerunt, sine omni injustitia facti sunt novissimi; sic in novissimo die ex benignitate Dei futurum, ut, qui hic reputati sunt novissimi, tunc præferantur his, qui hic habitati sunt primi in vinea Domini laboratores. Jansenius cap. 101. Harm.

Parabola  
partes,

IX Parabolæ nostræ partes principales sunt duæ 1. Operariorum in vineam diligens conductio. 2. Munifica mercedis æqualis distributio. Nos hac quidem vice 1. utriusque partis τὸ πᾶν ἐξ ἑσθλοῦν perspicua ἀναλύσας donabimus. 2. τῆς μουσικῆς varietatem indicabimus. 3. Per quæstiones textus veritatem ab adversariorum corruptelis vindicabimus. ADSIT VOCATUS JESUS!

Prima pars

X. Simile est enim) Prima Parabolæ nostræ pars (quæ per particulam connexivam prioribus merito adjungitur: Quia hoc πρὸς ἑσθλοῦν præcedentis capituli γνωμικὸν illustrat & confirmat: Quia in Græco & Syriaco exemplari reperitur, imò in duobus latinis manu descriptis, teste Jansenio: unde Maldonatus in hunc locum arbitratur; non deberi hoc cap. 20. à 19. distingui usque ad vers. 17. ubi novum occurrit argumentum) absolvitur quinque circumstantiis principalibus. 1. Notatione cause efficientis conductionis. 2. adjuncti temporis. 3. Subjecti. 4. Cause formalis. Et 5. cause finalis.

1. Causa efficiens.

XI. Efficiens causa principalis notatur v. 1. & dicitur Paterfamilias, οἰκοδεσπότης; Non ejusmodi homo nihili, qui in domo velut umbra vagatur, & suorum negligens, genio indulget securus, sed qui primus cubitu surgit, postremus cubitum abit, familiam regit, res auget, consilio & auxilio alius præest. Eph 5. v. 4. 14.

2. Adjunctum  
tempus.

XII. Insignis Patrisfamilias diligentia nobis commendatur temporis descriptione: Exiit primo mane) ἐμφατικῶς sunt verba Græca; ἄρα πρῶτον, quæ Beza minus commodè vertit; prima luce: Nam, teste Salmerone, πρῶτον Græcis dicitur qui quid intervalli post galli cantum & solis ortum; Ergo non ipsa lux. Et docet



et Alstedius, mane sive  $\pi\epsilon\sigma\omega\iota$ . tres habere particulas. I. cum plus Lexit.  
tenebrarum quam lucus est in aere. 2. Cum aperte dies incipit dignosci. Theol. pag.  
3. quae conjungitur cum ortu & elevatione solis. In priori signi- 149.  
ficatione hic accipitur; quam primam aurorae particulam,  
alias Graeci  $\delta\epsilon\lambda\tau\alpha\iota\sigma\iota\sigma\iota\beta\alpha\delta\iota$ ; Latini crepusculum matutinum appelli-  
tant; Hebraei  $\text{בְּקֶרֶת הַפְּנֹת}$  appetente aurora; Pagninus, Pl.  
46. vers. 6. Germani dicimus: Ehe dann die Morgenröte an-  
brach. Et hoc temporis punctum Marcus dicit  $\lambda\iota\alpha\iota\sigma\iota\beta\alpha\delta\iota$  cap.  
16. vers. 2. Johannes  $\pi\epsilon\sigma\omega\iota\sigma\iota\sigma\iota\beta\alpha\delta\iota$   $\epsilon\tau\iota\sigma\iota\beta\alpha\delta\iota$  c. 20. 1.

XIII. Diligentia nostri Patrisfamilias amplificatur per  
distincti temporis mentionem. Non enim sufficit Patrifami-  
lias primo diluculo exiisse, sed, ne vel tantillum diligentiae de-  
cederet, exiit circa horam tertiam vers. 3. circa sextam & nonam v. 5.  
circa undecimam vers. 6. Hic verò sciendum Judaeos olim, &  
Romanos, teste Caesio libr. 12. lect. Antiq. cap. 9. Singulos dies ab  
ortu solis ad ejusdem occasum 12. inclusisse horas, sive longiores fue-  
rint, ut circa solstitium æstivale: sive breviores, ut circa solsti-  
tium brumale: sive æquales circa æquinoctia: Nam ad in-  
æqualitatem dierum, horarum variabat æqualitas. Quemad-  
modum verò noctes in quatuor dividebant vigilias. Marci 13. vers.  
35. Exod. 14. vers. 24. Psalm. 90. vers. 4. Thren. 2. vers. 19. Sic  
etiam dies; ut quælibet Vigilia sive diei, sive noctis tres  
tantum habuerit horas. Ideo Paterfamilias exiisse dicitur 1. an-  
te solis ortum. 2. Circa finem horæ tertiae, (nostræ nonæ an-  
temeridianæ.) 3. Horæ sextæ (nostræ duodecimæ) 4. nonæ (no-  
stræ tertiae pomeridianæ) 5. Undecimæ (nostræ quintæ po-  
meridianæ) quas horas, quia diem dividebant, Tertullianus  
vocat insigniores.

XIV. Operarii in vineam! conducendi nominantur vers. 3 Subjectū.  
1. 2. 3. 4. 5. 6.  $\iota\epsilon\gamma\alpha\tau\alpha\iota$ , alias etiam Mercenarii dicti, qui, ut Sta-  
pletonus prompt. Moral. pag. 303. ex Chrysostom. citat, non ad  
manducandum conducuntur, sed ut opus domini sui faciant: quo die opus  
non fecerint, erubescant panem petere. Horum aliquot in foro  
(forum apud Judaeos erat in portis, ubi non tantum omnia venalia  
habebantur, sed etiam cause dijudicabantur, unde Hebraei porta  
 $\text{שַׁעַר}$  ab aestimando dicitur: Hinc Absolon 2. Samuel. 15. vers. 2.  
 $\text{שַׁעַר}$



וַיִּשְׁעַר וַיִּשְׁעַר עַל-יַד וַיִּשְׁעַר & stabat in altero latere portae, iudicans causas habentes ) offendit otiantes, fortassis, ut Colsterus inquit part. 2. Conc. p. 479. cum paterfamilias hora tertia, sexta & c. exiret, in diversorio potitantes; vel ut Franciscus Lucas Brugensis habet, desiderii carnis, laboris loco vacantes.

4. *Causa formalis.*

XV. *Causa formalis* pactionis habetur v. 2. v. 4. 7. συμφωνίας δὲ καὶ ἐξ ἑαυτῶν ἐν ἁρμονίᾳ τὴν ἡμέραν & c. Metaphorica est vox συμφωνίας aliàs Musicor. propria: Verùm ut ex diversis vocib. suavis exoritur harmonia; ita harmonia est inter conducentem & conducendum, cum de mercedis quantitate consentiunt. Erasmus minus commodè dicit: *Conventionem factam in singulos dies denario*: transmutat n. singularè numerum in pluralem, quod immutat parabolè veritatè, nam in unicū duntaxat diem fuerunt conducti: commodius ita vertitur: *pactus a. cum operariis denario diurno*, quia unius diei merces erat. In Græco est ἐκλήψις præpositionis καὶ, ut ἡμέραν pro καὶ ἡμέραν in diem. Merces a. promittitur *indefinita* illis qui tardius accesserant, iusta tamen v. 4. 7. καὶ ὅτι ἴδον ἢ δὲ αὐτοὶ & quod iustum erit: Exemplar Hebraicum à Mercero editum, quod *rectum erit*, teste Drusio in præteritis pag. 42. Syrus habet נָחֵם quod oportet, quod decet: Quod Münsterus & Genebrardus, per *inconueniens, inconuenienter interpretantur*; 2. *definita*, denarius v. 2. Denarii vocem apud Judæos V. T. in usu fuisse non legimus, sed tempore Christi numismata Romana fuerunt usitatissima inter Judæos, unde etiam hodie dicunt דַּנָּרִים appellatione procul dubio à Romanis desumpta. Porrò B. Arias Montanus docet, *duplicem apud Judæos in usu fuisse denarium, unum minorem, cuius pondus granis hordei 96. Majorem alterum, qui quartæ uncie parte constet, sit q̄ dimidius siclus*. Minorem intelligimus h. l. de cuius valore varii variè disputant. Hugo Cardinalis dicit in hunc locum. *Denarius valebat decem nummos usuales*. Beza: *Denarius fuit nummi Romani genus, valens tres solidos Gallicos & semissem*. Cum quo consentire videtur Johan. Piscator: *Denar wird von den Römern genent ein Münz / welche etwas mehr guld / denn anderthalben Basen: oder Sechskreuzer / das ist ein Straßburger Schilling: Salmeron tract. 33. sect. 8. Dicitur est denarius, quod decem asses, areos valeret: & decem denarii, conficiunt monetæ ducatum*

*Denarius.*

*justum*





ducatum. Maldonatus in cap. 22. Matth. col. 461. illis as-  
sentitur, qui denarium argenteum drachmæ Atticæ æqualem.  
pondere fuisse dicunt. Argenti autem drachma quinq; Gallicos  
solidos pendit. B. Hunnius in c. 12. & 20. Matth. Denarius valet  
bacos duos cum dimidio. Hic loci ein Schreckenberger. Quæ senten-  
tia vel ob hoc nobis probatur, quòd ad mercedem, quæ hodiè  
operariis solvitur pro opere diurno, quàm proximè accedit.

XVI. Finalis causa exprimitur v. 1. 2. 4. 5. 7. nimirum  
misit illos in vineam suam, non ut ibi otio & voluptatibus va-  
carent, aut laborantes vineam devastarent; sed vineam, ut fide-  
les decet operarios, colerent, plantarent, fodiendo, vites inse-  
rendo, putando, pedimentis alligando &c. Et hætenus prior  
parabolæ nostræ pars.

XVII. In secunda parte de munifica æqualis mercedis di-  
tributione, considerandum venit 1. tempus v. 8. cum serò au-  
tem factū essent) ὁψίας ἢ γενομένης potest subintelligi ὄρου. Con-  
stat autem vespera ὁψίας tribus particulis, principio, progressu, fi-  
ne. Initium est tempus illud cum sol jam occubuit. 2. cum apparet  
☉. 3. cum vix discerni potest, utrum sic dies an nox: hic temporis  
punctum notatur occasui Solis proximum, quo 12. diei hora  
præcisè claudebatur; Hebræis אָרְבַּע ab אָרְבַּע ideo dicitur, quod  
Sole occidente, lux cum tenebris misceri incipiat. 2. Causa effici-  
ens principalis v. eod. ὁ κύριος ἢ ἀμπλων. 3. Causa administra, pro-  
curator, ἐπίτροπος, quem Syrus Magistrum sive præfectum domus  
appellat, (in amplis enim familiis sub patrefamiliàs est œcono-  
mus, qui accepta & expensa curat) huic dicitur: *Voca operarios &c.*  
4. Ordo quem fidelissimus procurator in mercedis distributione  
observavit (noluit enim opus Mercenarij apud se morari usq; mane  
juxta legem Levit. 19. v. 13.) κατ' ὄρεον πρότερον, v. 9. 10. 11. nimi-  
rum primus mercedem solvit ijs (præter omnium expectationem)  
qui hora undecima venerant: deinde ijs, qui venerant horâ nonâ: postea  
illis, quos horâ sexta & tertia conduxerat: tandem his, qui ante auroram  
in vineam venerant: ἡ ἕλαβον ἀνὰ δλωρίον, æqualiter, tam primi quàm  
novissimi acceperunt singuli denarium, præpositio enim ἀνὰ h. l.  
proportionem significat æqualem, vid. Luc. 9. v. 14. Joh. 2. v. 6.  
Apoc. 21. v. 21. 5. Eventus, qui complectitur 1. γογγυσμὸν τῶν ἐργατῶν 5. Eventus  
operariorum murmurationem; in qua observare licet 1. πρὸ τῶν.

5. Causa fi-  
nalis.

2. Pars.  
1. tempus.  
Alsted. lex  
Theol. pag.  
151.

2 Causa ef-  
ficiens prin-  
cipalis.  
3. Causa  
administra.

4. Ordo.

5. Eventus

B

mur-



murmurant v. 11. 2. *αὐτοὶ σὺν καὶ ἰσοπύρην*, argumento deducto à collatione laborum & temporis; *ἔτοι οἱ ἔχαστοι μίαν ὥραν ἐποίησαν;* accusativus hic est temporis, & potest subintelligi, opus fecerunt unam horam opus, nos verò duodecim. 3. *ἀνέστησεν* v. 12. qui portavimus pondus diei & aestum. Breviter sic adversus patremfamilias informant stylum; rem indignam admittis & intolerabili nos afficis injuria, qui istos labore nobis impares, pares fecisti mercede. A rextus simplicitate hic recedunt Chrysoft. hom. 65. & Jacob. de Vorrag. serm. 1. h. D. p. 72. docentes, operarios hoste non ex invidia vel ira, sed admiratione potius murmurasse. Textus reclamatur.

XVIII. 2. *ἀποδοῦναι τὴν ἀποδοσὶν* patrisfamilias responsionem, qua justitiam suam, adversus mordaces illos, defendit. Hæc autem continet 1. benevolentiae ostensionem v. 13. *ἰσχυρῶς*, amice, sed fortassis minus commodè: nam *græca hæc vox tribuitur scilicet iam vel minus notis, vel prorsus ignotis*: commodius vertitur per voculam (Sodalis) quâ teste Beza, ferè in omnibus linguis ignotos compellamus. Est autem in Responsione patrisfamilias 1. *ἰσχυρῶς* propositio, accusationi murmurantis opposita: *ἐν ἀδικίᾳ ὅτι* v. 13. 2. *ἄριστον κατασκευαστικόν* desumptum 1. à pacti repetitione, per interrogationem, ut fortius urgeret murmurantem iniquum, & proprio testimonio convictum magis confunderet; v. eod. *ἐχὶ δλωαίς συνεφώνησας μοι;* 2. à Libera voluntatis ostensione v. 14. *volo autem & huius novissimo dare sicut & tibi*; prior particula copulativa (&) in græco & Syriaco non extat, nec etiam necesse est. 3. à domini potestatis libertate v. 15. *annon licet mihi quod volo facere*, habet vulgata: sed alii rectissimè addunt: in meis scilicet rebus *ἐν τοῖς ἐμοῖς*, quod Aug. ser. 59. de verbis Domini, interpretatur, *de meo*. 4. à commendatione suæ bonitatis, quæ per *ἀντιπαρρηγοῦμαι* invidio opponitur oculo, v. 15. *an oculus tuus nequam est, quod ego bonus sum*. Elegans hic notandus Hebraismus, quo oculus ponitur pro invidia & ira, quia affectiones hæc maximè per oculos se ostendunt. Non enim hic eadem est oculi mali significatio, quæ Matth. 6. v. 23. sed ut Hebræi oculum hominis ad misericordiam proni, bonum dicunt Prov. 22. v. 9. *טוב עין הויה יברך*, bonus oculus ipse benedicetur id est vir bonus oculo: ita etiam malum dicunt oculum, qui alterius commoda obliquè limas Prov. 23. v. 6. *אל תלחם את לחם רע עין*, ne comedas panem



nem oculi mali i. e. viri qui invidia commovetur. Utraq; significatio etiam Ecclesiastico usitata c. 14. v. 8. c. 35. v. 12. Et haec tenus paterfamilias injustitiae suspicionem firmissimis rationibus a se armovit.

XIX. Quibus tamen omnibus nervum incidunt Jesuitae Costerus & Maldonatus; quorum ille part. 2. Conc. p. 480. hic verò comment. in h. c. col. 418. l. B. nimium subtiliter (ne scilicet gratiae locum cogantur relinquere) scribunt; *ultimos illos, qui horâ undecima in vineam venerant, tantum operis praestitisse, quantum primi, tum quod aptiora haberent instrumenta, tum quod recentiores alacrioresq; fuissent &c.* Sed nos acuto simul & oblioso Costero 1. in memoriam revocamus, quod supra th. 14. dixerat, *ex quo concluditur, ebrium hominem tantum praestare posse una hora quantum sobrius horis duodecim:* Quærimus 2. etiam, annon primi illi, qui ante auroram in vineam venerant, vel per horam tantum aequè fuerint alacres & aptis instrumentis instructi? Denique 3. miramur patrisfamilias silentium! Causam silentii reddit Maldonatus; *Patremfamilias noluisse murmurantes confundere, quod factum esset, si causam reddidisset, cur ultimos in mercede primis aequaret, & hanc sententiam etiam Chrysostr. adscribit: Sed Resp.* Jesuitam causam malam reddere pejorem: Si enim 1. aequalem mercedem aequali distribuit paterfamilias labori, quare bonitati suae adscribit v. 15. si 2. omnes fuerunt aequalis meriti, quare ultimi primis praelati? Si 3. noluit illos confundere, cur appellat illos *homines*. 4. Chrysostr. certè hæc sententia nunquam in mentem venit: ille enim dicit patremfamilias noluisse confundere, *ultimum conductos, qui negabant se a quoquam esse vocatos: de his vero nihil dicit. Porro pergit Jesuita patremfamilias personae observasse decorum, cuius non sit proprium servis actionum suar. reddere rationem; praesertim si cum hominibus malignis & querulis agat, tum solum suam allegare voluntatem, ut Teoph. habet in c. 9. ad Rom. v. 19. Resp.* Theophy. l. citato hujus rei ne meminisse quidem: Posito, Theophylactum ita loqui; quid inde commodi ad Jesuitam redundat? Nihil certè! Si enim indigni quibus Deus factor. reddat rationem: quomodo Jesuitae ob meritum in caelum collocabunt, ubi actionum divinarum rationem videbunt? Si maligni quomodo in caelum ingredientur? Scil. secundum promissionem



sionem 1. Cor. 6. v. 9. Gal. 5. v. 20. 21. Heb. 12. v. 14. Apoc. 21. v. 8. Epiphonema Christi ad quæstiones reijcimus.

2. Pars de  
Variatione  
sensus My-  
stici.

XX. Scopum parabolæ hujus genuinum in superiori-  
bus assignavimus, nunc ad mysticæ interpretationis varietate-  
tem ostendendum, accessum facimus, in quo non tam diligen-  
tia, quàm pietas requiritur eximia: illa ne quid oscitanter præ-  
teratur; hæc ne quid temerè asseratur; præsertim cum in hoc  
corpore ad omnia mysteria, tanquam noctua ad solis radios, cæ-  
cutiamus. Facem igitur nobis præferat illud Chrysost in h. l.  
*In parabolis non oportet nimia in singulis cura perangi; sed cum quid per  
parabolam (Christus) intendat, didicerimus, inde utilitate collecta, nihil  
ulterius anxio est conatu investigandum. Nam, ut Salmeron tract. 33.  
sect. 1. habet, similitudines corporum & comparationes non possunt  
precisè rerum spiritualium proprietates representare: & si in parte ali-  
qua serviunt, in multis sunt dissimiles. Nos ne vel mediocri diligen-  
tiæ defuisse, vel temeritati studuisse videamur, magis occupati  
erimus in aliorum opinionibus annotandis quam probandis;  
quæ in concionibus populariter nonnunquam tractari, ad argu-  
endos verò disputatoriam nunquam revocari possunt.*

Regnum  
Cælorum.

XXI. Regnum cælorum est Ecclesia in his terris mili-  
tans, in statu gratiæ constituta. Lyra intelligit Christum & gra-  
tiam Evangelicam. Aretius professionem Evangelicam. Maldonatus  
& Jansenius c. 101. Concord. intelligunt non tantum Ecclesiam  
militantem sed etiam triumphantem. Contra quos notari poterit  
sermonem esse de regno illo in quo murmur locum habet v. 11.  
quod de Ecclesia in cælis triumphante dici nequit. Dicitur Eccle-  
sia in his terris militans regnum 1. propter potentissimum Christi Re-  
gis dominium Psal. 110. v. 2. Apoc. 1. v. 13. 2. propter suavissimum  
cælestium bonorum gustum Psal. 34. v. 9. Hoc regnum cælorum  
non comparatur patrifamiliæ tanquàm res personæ, aut persona  
personæ, sed tanquam negotium negotio, hoc modo, idem acci-  
dit in regno cælorum, quod in vinea patrifamiliæ accidere potest.

Paterfami-  
liæ.

XXII. Paterfamiliæ est Deus unus & Trinus, cui pro-  
pter amoris sinceritatem & inexhaustam copiam soli patris no-  
men competit, nobisq; non nisi ἀναλόγως potest attribui, Matth.  
6. v. 9. c. 23. v. 9. Dicitur paterfamiliæ, ut Jacob, de Vorag.  
ser. 1. Sept. dicit, quia tres sustentat familias: triumphantem in cælis  
propter



*propter gloriam: trepidantem in gehenna ob iram: militantem in terra per gratiam: illic gaudent victores, illic dolent victi, hic pugnant milites.* Theophyl. in h. l. Hilarius can. in Matth. 20. & autor operis imperfecti hom. 34. *Speciatim Christum intelligunt.* Nos Toti SS. Trinitati hoc nomen tribuimus; Patri quidem propter creationis *ἔργον* Heb. 1. v. 2. filio propter redemptionis *λόγον* Rom. 1. v. 4. Spiritui S. propter sanctificationis *χάρισμα* Rom. 1. v. 4. Habemus assentientem Irenæ. lib. 4. c. 70. Greg. hom. 19. in Evang. Bed. in h. l. Aretium, Gvvalther. Hugo. Card. Jacob. de Vorag. Jansen. Maldonat. Granatens.

XXIII. Hic paterfamilias vocat in vineam suam operarios: per vineam Irenæus lib. 4. c. 70. Euthym. & Chrysof. in h. l. *mandata Dei intelligunt.* Theophyl. *cujusq; animam cui calculum suum addit Bernhardus.* Athanasius quæst. 5. *totum mundum.* Nauseas Cent. 4. Hom. p. 813. *fidem.* Nos Ecclesiam cum Origine & Gregorio hom. 19. in Ev. intelligimus: *Ecclesiam externam profitentem veram religionem,* inquit Aretius: Hujus sententiæ sunt Jansenius: Maldonat. Granat. Jacob. de Vorag. serm. 1. Sept. *quanquam idem & animam intelligat serm. 2. (cui adstipulatur Barradius in c. 20., imò pœnitentiam serm. 3.)* Salmeron. tract. 33. sect. 16. *Contra quem tamen ex Gregor. Magno Hom. 19. notamus, non tantum illam Ecclesiam vineæ comparari, quæ in Abraham cœpit, sed & illam, quæ in cunabilis mundi fuit: idè enim Christus non loquitur in tempore præterito sed præsentis de vinea, ut continuam ejus durationem tacitè notet.*

XXIV. Paterfamilias exit ad conducendum operarios. *Exit.* Cum enim nos nostris viribus neq; esse, neq; existentes, in vineam Domini venire potuerimus: Deus 1. ad nos exit per creationem Gen. 1. v. 26. 2. Exit per filij missionem Gal. 4. v. 4. Mich. 5. v. 2. Joh. 16. v. 28. 3. Exit ad nos loquendo & misericordiam declarando Hebr. 1. v. 1. Joh. 15. v. 15. 1. Joh. 4. v. 10. Hinc Aug. serm. 59. de verbis Dom. *Exire patremfamilias est innotescere: quoniam, qui in domo est, in abdito est, non videtur ab ijs, qui foris sunt. Christus, quando non intelligitur & agnoscitur in secreto est, quando autem agnoscitur, exit conducere.* Aliis innotescit per beneficiorum largitionem; aliis per flagellorum correctionem; aliis per internam inspirationem Hugo Card. aliis per verbi prædicationem vel immediatam



ram ut Patriarchis, &c. vel mediatam ut nobis. Sicut enim Sol, quem oculis videmus, nunquam illuminandi officium intermittit, sed vel ipse radios suos in hæc inferiora transmittit, ut interdum, vel communicat stellis, quos noctu terræ impertiant: ita Deus Patribus locutus in propria persona: nobis verò per Ministros suos, qui sunt stellæ in manu Domini Apoc. 1. v. 16.

Horarum  
diversitas.

XXV. Alii vero vocantur primo diluculo, alij hora tertia &c. Horarum diversitas vel de ætate μακροκόσμος vel μικροκόσμος exponitur: utraq; suos habet asseclas. Prior quidē Irenæ. lib. 4. c. 20. Bed. in h. l. Orig. Hom. 10. in Matth. Hierony. in c. 20. Matth. prima hora est ab Adamo usq; ad Nohã, tertia à Nohã usq; ad Abraham & circumcissionem: sexta ab Abraham usq; ad Mosen ejusq; legem: nona complectitur Mosen & Prophetas: undecima Apostolos, gentiumq; populum: Paulò aliter stylum informat Fulgentius lib. 2. de remiss. peccat. c. 18. Posterioris sententiæ iterum sunt Origen. & Hierony. Theophy. Isid. Hispal. in Alleg. Ambros. in Luc. Hilarius Can. 10. in Matth. unde Theophylact. Adolescentes, qui credidèrè, majorem laborem habent, quam hi, qui in senectute ad fidem accesserunt. Adolescentens enim pondus iræ & æstum concupiscentiæ gestat certans cum affectibus, senex verò in tranquillo statu est.

Forum.

XXVI. Omnes aut certè pleriq; in foro conveniuntur in quo otiosi resident. Forum Nauseæ, Cent. 4. Conc. p. 814. est ipsum peccatum: Origenes & autor imperfecti totum intelligunt mundum, quibus subscribunt Barradius & Stapleton. prompt. moral. p. 311. Si mundum accipiant pro corrupto hominum statu ut Eph. 2. v. 2. c. 6. v. 12. 2. Cor. 4. v. 4. calculum addimus nostrum. Nam homines in statu peccati constituti, animas, quasi in foro, exponunt venales, ubi diabolus mercaturam facit. Libidinosus modica & turpi voluptate salutem prostituit: avarus splendidiori terræ luto animam vendit: φιλότιμο & secundiori plebis murmure &c. qui omnes in perpetrando scelere sunt occupatissimi; (nihil enim laboriosius est iniquitate & impietate Aug. Psal. 9.) & tamen otiosi; quia unicum quod necessarium est, non agunt, Luc. 10. v. 42.

Denarius.

XXVII. Cæterum de Denario, qui hominibus in vinea Domini laborantibus promittitur, variæ variorum sunt sententiæ, quam ob causam aliqui subre (teste D. Lysero Harm. lib. 5. c. 132.)



c. 132. p. 244. quibus consentit Jansen. Harm. c. 101. p. 614. col. 1. sub fin.) qui censebant, in Explicatione hujus Evang. de denario prorsus esse tacendum. quorum consilium certè non est contemnendum, cum scopus parabolæ minimè requirat, ut denarii significatio- nem mysticam curiosius scrutemur. Pontificij pleriq; omnes (licet non absq; contradictione) per denarium præcisè vitam æternam in- telligunt. Jacob. de Vorag. p. 72. serm. col. 1. Maldonatus, Ianse- nius Harm. p. 615. col. 2. Hugo Cardinal. h. l. Stapleton. prompt. moral. text. 2. p. 301. Granat. p. 126. Epit. Concio. qui somniant, vitam æternam ideo denarium dici, quia detur pro observatione Decalogi: (Patres etiam Hierony. lib. 2. contra Iovian. Aug. serm. 50. de verbis Domini, per denarium vitam æternam intelligebant, non quod operum meritis debeatur, sed ex benignissima Dei pro- missione concedatur. Unde illud Chrysost. in c. 24. Matth. non debendo sed promittendo se Deus debitorem fecit) sed quam longè à ve- rò sensu aberrent, cuius parabolam inspicienti apparere potest: non enim in parabola agitur de vitam æternam consequendi modo; sed gratuita bonorum remuneratione: non datur vita æterna communiter omnibus, bonis & malis, sicut denarius: vi- ta æterna non datur meritis Rom. 6. v. ult. Eph. 2. v. 8. Tit. 3. v. 5. imò, ne denarius quidem meritis datur, alioquin primi non tan- tum ordine sed & mercedis quantitate novissimos antecessis- sent: Rectè enim Jacob. de Vorag. ser. 1. Sept. ex Gregorio di- cit; nullum murmurantem vitam æternam accepisse: nullum enim qui accipit, murmurare posse. Et Hugo Card. in h. l. lit. f. talem affert glossam: tolle quod tuum est, i. e. pœnam æternam quam meruisti: & lit. t. Et vade i. e. vade in ignem æternum.

XXVIII. Prosper lib. 1. de vocat. gent. c. 12. August. lib. de sanct. virgin. & tract. 67. in Johan. intelligunt vitam æternæ aequalitatem. Theophylact. spiritus & gratiam. Irenæus lib. 4. c. 70. adversus Valentiniã. imaginem & inscriptionem Regis agnitionem filij Dei. Aretius p. 130. in Matth. f. b. omne id, cuius respectu sin- guli se conduci patiuntur: Nonnulli Christum intelligunt, verum re- demptionis denarium. Harm. D. Lyseri lib. 5. c. 132. p. 244. D. Bald. Dominic. Sept. p. 195. Erythrop. Epit. Cone. p. 265. Alii deni- que dona Dei gratuita singulis in hac mortalitate collata, ut Basilius de denario in regulis brevior. interrog. 255. & 256. cui ad stipula- tur Lyranus & Hilarius: D. Försterus p. m. & D. Diettericus in Ana-



Analyfi Evang. h. Domine. Quēmlibet suo sensu abundare lu-  
 bentes patimur, si modo non contra scopum pugnet parabolæ:  
 Nos posteriorem tamen amplectimur; quæ non excludit reli-  
 quas, imò ne ipsam quidē vitam æternam: (si tamen gratiā Dei  
 absq; operum merito nobis contingere credatur) siquidem  
 cum Christo nobis dantur omnia Rom. 8. v. 32. quotquot enim  
 in vinea domini laborant, terrestri benedictione à patrefami-  
 liās induuntur: & vel quoad *τὸ πῦρον*, centuplam recompensa-  
 tionem accipiunt, ut Abraham, Job &c. vel quoad *ἀὴρ δέσποιν*. Ti-  
 moth. 6. v. 6. 8. I. Cor. 3. v. 22. remunerantur: Spiritualia acci-  
 piunt charismata: internas consolationes; & animum paca-  
 tissimum. Imò, qui gratiā patrisfamiliās unicē nituntur pro *CARNA-*  
*libus cognatis familiaritatem & fraternitatem cum Deo habebunt; pro*  
*agris paradisum, & pro lapideis ædibus cœlestem Hierusalem &c.* ut pul-  
 chre Theophyl. loquitur. Qui verò operum suorum jactant di-  
 gnitatem, & cum patrefamiliās de mercedis quantitate alter-  
 cantur; audituri sunt illud: *tolle quod tuum est & abi!*

*Murmurantes.*

XXIX. Judæi equidem V. T. singulari privilegio in  
 vinea Domini fuerunt donati; quibus non tantum terrestris  
 sed & cœlestis Canaan singulari Dei gratiā erat promissa; (dena-  
 rius omni exceptione major) verum enim verò, cum adscribe-  
 rent hæc non divinæ clementiæ, sed propriæ sanctitati, jam ante  
 audiverunt, *tolle quod tuum est, & abi!* Rom. 11. v. 20. Habent  
 enim mercedem suam Matth. 6. v. 16. Hinc murmurant, non  
 secus ac hodie Judæorum simiæ, Pontificii: uti enim illi ægrè  
 tulerunt *Messiam annuntiari Gentibus* quæ leges Ceremoniales  
 non observabant: ita hi omnes, præsertim Pharisei, Jesuitæ,  
 murmurant: Verbum Dei offerri nobis Lutheranis, qui ridicu-  
 las illorum ceremonias ridemus, proprium operum meritum  
 execramur: *Sed per gratiam Domini nostri Iesu Christi credimus nos*  
*salvos futuros, Act. 15. v. 11.* cum tamen Pontificii cum suis pa-  
 rentibus Judæis nil nisi legis observationem, & sanctitatem in-  
 de proveniente crepent Matth. 19. v. 20. Joh. 6. v. 28. Esa. 58.  
 v. 3. &c. Quod enim Franciscus Luc. Brugensis in c. 20. Matth.  
 p. 303. de Judæorum primatibus dicit jure optimo, de se suisq;  
 collegis dici potest, ipso adversario iudice: *Multi, inquit, qui nunc*  
*primas tenent, videntur sibi atq; alijs pro Dei servitute labores ferre into-*  
*lerabiles.*



lerabiles, tam ut alios quam ut semetipsos gubernent, in Dei cultu conti-  
 neant assiduos, ad Dei cultum dilapsos reducant, alienos adducant, jeju-  
 nant bis in Sabbatho, decimas dant omnium (accipiunt omnium) videntur  
 regere populum (regunt) circum eunt mare & aridam, ut unum faciant  
 profelytum excludentur vitâ aternâ. Judicet qui judicare potest!

XXX. Murmurant etiam in Ecclesia omnes Rationa-  
 listæ hodierni, qui, (ut operarii ob mercedis æqualitatem) My-  
 steriorum divinorum profunditate offenduntur: Tales Mur-  
 murantes olim erant Judæi Johan. 6. vers. 41. qui Mysterium  
 manducationis corporis & sanguinis Christi spiritualis ratio-  
 nis suæ decempedâ sunt meriti, nescio quam *σαρκοφαγίαν & αἱμα-  
 τόποιον* somniantes Capernaïticam: Similes his sunt hodierni  
 Calvinistæ, qui nil nisi terrena sapiunt, & ad quamvis Mysterio-  
 rum mentionem murmurant, & vel cum operariis vocationis,  
 dignitatem; (se homines esse ratione præditos, non anseres, non boves;  
 non frustra rationem hominibus esse concessam) vel cum Judæis rei im-  
 possibilitatem prætendunt. Sive igitur differas ex Scripturis  
 de spiritali baptizatorum regeneratione per aquam; sive de  
 reali præsentia corporis & sanguinis Christi in sacra Cœna: si-  
 ve de omnipotentia Christi hominis &c. audies illas *γοησίζοντας*  
 & in Capernaïticum illud *πᾶς*; erumpentes: *Quo-  
 modo tanta virtus potest esse in aqua? Quomodo corpus numero unum  
 actu in pluribus potest esse locis? Quomodo corpus finitum infinitæ poten-  
 tiæ erit capax? Quasi verò statuamus virtutem regenerantem  
 aquæ inhærere! quasi statuamus potentiam quantitate corporeâ infini-  
 tam in finito habitare corpore!* Calvinistis hac in re fidelem  
 navant operam. Neophotiniani, qui principium fidei non  
 Dei sermonem, sed *λόγον ἄνθρώπων* hominis ratio-  
 nem constituunt, dicentes; *Neminem teneri ut credat id, quod intel-  
 lectus sive ratio clarè testetur esse falsum.* Ostorod. Inst. Germ. pag.  
 42. 43. Nos Rationalistis istis illud Justini Martyris op-  
 ponimus: *σαφῆς ἔλεγχος τῆ ἀπιστίας, ὅτι πᾶς ἀεὶ  
 θεὸς λέγει.*

Zwinglius  
 in Colloq.  
 Marpurg.  
 Grynaeus  
 disp. Hei-  
 del de Cæs  
 na anno  
 84. tb. 25.  
 26 Id. præ-  
 fat. præmis-  
 sa disput. de  
 sermone In-  
 carnato Ge-  
 orgius Lu-  
 pichius con-  
 tra D. Sels-  
 necker. Bu-  
 canus Loc.  
 38. p. 711.

C                      Que



Questiones ex hac parabola

QVÆSTIO I.

An homines propter opera coram Deo  
justificentur?

Pro operum bonorum justificatione Pontificii omnes tanquam pro aris & focis pugnant, & assertionis suæ haut exiguum præsidium in parabola nostra positum esse somniant, similes meretrici illi, (quæ 1. Reg. 3. coram Salomone comparebat) infan-tem vivum expetenti, cum ejus mater non fuerit. Licet enim probè sciant parabolam hanc à nostris stare partibus tamen sibi exposcunt & contra nos eandem detorquent. Quo in opere multus est Johannes de Turre Cremata quæst. 2. in hanc Domin. Granatens. epit. Conc. p. 119. Thomas Staplet. prompt. Cathol. text. 1. p. 70. prompt. Moral. text. 2. p. 30. Sed ἀπορίας & ἀπορίας omnia! Cœlestis n. noster Salomon, Christus parabolam hanc 1. opponit meritōrum arrogantia. 2. mercedis distributionem adscribit bonitati. 3. opera sua extollentes reprehendit. 4. si operū militaret dignitas, Deus, præter justitiæ suæ violationem, in dispari labore parem mercedem erogare haut posset. 5. Novimus ex Scriptura vitam æternam esse donum Dei non meritum operum. Rom. 6. v. 23. Eph. 2. v. 8. 9. non quia operibus quæ Deus in nobis per gratiam operatur, redditur, sed quia gratis omnino confertur. Aug. prorsus n. gratis dat Deus, gratis salvat, qui nihil invenit unde salvet & multum invenit, unde damnet. Aug. serm. 25. de verbis Apost. Unde liberatus non habet, quod de meritis suis gloriatur, idem in Enchir. ad Laurent. c. 99. quia sine bonis meritis nos liberat, idem lib. 3. cont. Julian. c. 18. 6. Ad perfectissimam obedientiam Deo præstandam obligamur jure creationis, cujus respectu, si vel legem perfectissimè possemus implere (quod tamen nobis est impossibile Rom. 8. v. 3.) nihil mereremur: Non n. data est lex, quæ posset vivificare, Gal. 3. v. 21. Non legimus Deum Adamo dixisse, si præcepta mea servaveris, mereberis vitam æternam: sed: quo die præceptum transgressus fueris, morte morieris: nō enim creatus ut operum meritis vitam acquireret, sed ut in vita creatorem celebraret: qui si in statu integritatis permansisset, vitam non esset meritus, sed præcavisset mortem. Hinc Matth. 19. v. 17. Ezech. 20. v. 11. Luc. 10. v. 28. &c. dicta, quæ non legis possibilitatem, sed primam vitam



vam ejus conditionē describunt: In lege enim nobis vivere licebat non propter operum merita, sed propter Dei annexam gratiā. 7. Quod nos inobediētiā amisimus, Christi obediētia nobis restituit; Ideo Deus lapso Adamo non præcepit opera, quibus vitam promeretur; sed promisit Messiam cujus obediētiæ consideret; Quod n. lex præstare non poterat, ea parte qua imbecillis erat per carnem, hoc Deus proprio filio misso, sub specie carnis obnoxia (præstitit) ac de peccato condemnavit peccatum per carnem, Rom. 8. v. 3. Gal. 4. v. 4. Col. 1. v. 22. Argumenta, quæ Pontificii ex parabola hac pro operum merito depromunt, levicula sunt & solidissimè refutata à Dn. Præsid. loc. de bon. oper. §. 114. Dn. Melführer in vindic. hujus Evang.

## QVÆSTIO II.

An homines in hoc mortali statu Decalogum possint implere?

Haut obscure, sed nimis audacter, affirmant Pontificii Staplet. & Granatens. quando 1. denarium (i. e. vitam æternam) pro observatione Decalogi dari scribunt vid. th. 27. Quibus igitur vita æterna datur, in illis perfecta legis impletio præsupponitur, cum lex nullum bonum promittat, sed æternam minetur mortem omnibus, qui non omnia servaverint &c. Deut. 27. v. 26. Gal. 3. v. 10. 2. quia docent, homines opera supererogationis præstare posse, Costerus & Osorius in Expl. Evang. Domin. 1. post. Epiph. supererogationis autem opera requirunt plenariam antegressam solutionem. Nos ex S. Scriptura negamus. 1. quia lex perfectissima, Deut. 4. v. 2. perfectissimam requirit omnium virium rectitudinē Deut. 26. v. 16. At nemo mortalium dicere potest: Mundum est cor meum & purus sum à peccatis Prov. 20. v. 9. quia non tantum de immunditate concipimur semine, Job. 14. v. 4. sed etiam tanquam aquam iniquitatem bibimus Job. 25. v. 16. Lex spiritualis est (quia non tantum manus & pedes coercet, sed ad animum usq; & intimum hominis Spiritum contingit: quicumq; aspexerit uxorem ad concupiscendam eam &c. Matth. 5. v. 28.) nos autem carnales sumus (quia labes peccati in nos per carnem propagata, non tantum in carne residet, sed etiam animum pervadit) & agimus quæ non probamus Romanor. 7. vers. 14. 15. Licet enim 2. primitias novitatis



acceperimus, remanent tamen semper vetustatis reliquiae, unde  
perpetua novitatis inchoatae & vetustatis relictæ pugna acerti-  
ma, quarum hæc, haut rarò feliciter superat, ille superatur: sæpe  
enim sanctis atrociora subrepunt peccata etiam inscientibus,  
quibus licet non oblectentur, secundum rigorem tamen legis  
divinæ æternam promerentur pœnam; cum, qui in uno offendit,  
omnium sit reus Jacob. 2. v. 11. &c. Verum 3. Pontificii avitani-  
tuntur hypothesei Pharisæica, legem tantum externas actiones require-  
re, non internos animi motus, contra quam Christus disputat  
Matt. 5. Et quomodo 4. gloriari possunt Pontificii de legis imple-  
tione perfecta cum non tantum legi contraria faciunt sed etiam doce-  
ant? Annon enim primo Decalogi præcepto contrariatur, quod  
Bellar. tom. 1. lib. 2. de Imag. Sanct. c. 21. docet; Imagines per se  
& propriè esse colendas, ita ut ipsæ terminent venerationem, & non tan-  
tum, ut vicem exemplaris gerunt? nihil dico de diffidentia in Deum:  
de multiplici nominis Dei abusu &c. Sed mittimus Pharisæos  
hosce legis observantiam jactitantes: nos cum Publicano pe-  
ctora nostra pulsamus, & ingemiscientes clamamus: Propitius  
esto Deus nobis peccatoribus! Meritum enim nostrum, miseratio Domini.  
Bernh. serm. 51.

### QVÆSTIO III.

An Lutherani prohibeant bona opera?

Impudenter hoc affirmant Pontificii. Sic enim Thomas  
Staplet. Prompt. Moral. p. 318. text. 6. hujus Dom. Apud horum  
temporum hæreticos (Lutheranos) omnis pietas, justitia, virtus, timor  
Dei, religio non exulat tantum, & jacet, verum etiam exploditur & viti-  
detur. Quod enim de gentibus, nullam futuræ gloriæ spem habentibus Pau-  
lus scribit, hoc illis accidit: desperantes semetipsos tradiderunt impudici-  
tiae, in operatione immunditiæ omnes, in avaritia, &c. Et ne quid im-  
pudentiæ desit, vocant nos opericidas, Simonis Magi & Eunomij di-  
scipulos: ut Caspar Blenberg Colon. de causis Apostas. c. 5. Les-  
sius confid. 1. p. 18. Et nullus sacrificulus hodiè tam indoctus, qui  
non auditores suos hanc calumniam doceat, & vel hanc ob-  
causam Evangelicos Pontificiis reddat invisos. Sed beatos nos,  
cum probra &c. mentientes, Matt. 5. v. 11. Nos enim 1. non appro-  
bamus Nicolai Ambsdorsii effatum, qui bona opera perniciofa  
ad sa-



ad salutem dixerat. 2. Contra Antinomos & libertinos Vocabulum Necessitatis (extra tamen justificationis actum) urgeamus (vide Confessio n. Aug. art. 6. & ejus Apolog. Item Disp. B. Luth. contra Eccium comment. in c. 5. ad Gal. In primis præfat. in Epist. ad Rom. & libellum de votis Monasticis) secuti stylū & filius Scripturæ Rom. 13. v. 5. 1. Cor. 9. v. 16. Act. 15. v. 28. Et hoc fieri debet. Respectu Dei 1. propter Mandati severitatem, Psal. 34. v. 15. Rom. 6. v. 13 c. 8. v. 12. 1. Thessa. 4. v. 2. 3. 1. Joh. 4. v. 21. Non enim frustra in vineam Domini vocamur, sed ut quilibet, quantum divina gratia largitur, operetur, 2. propter gloriae Dei claritatē Matt. 5. v. 16. Rom. 2. v. 24. 3. Beneficiorum magnitudinem Malach. 1. v. 6. 1. Cor. 6. v. 11. Tit. 2. v. 14. 4. Exempli certitudinem Matth. 11. v. 29. Luc. 6. v. 36. Respectu nostri. 1. ut mercedem promissam (non promeritam) accipiamus v. 4. & 7. Parab. 1. Tim. 4. v. 8. 2. Speciem malam evitemus. 1. Thess. 5. v. 22. Respectu proximi, tum ut illi commodemus 1. Pet. 4. v. 10. tum ut bene præluceamus, Philip. 2. v. 15. Matth. 18. v. 7. Interim bonorum operum nomine nobis veniunt: Sola illa, quæ quoquo modo à Deo sunt mandata; à quo longissimè absunt præcepta Pontificia quæ verbotenus quidē habent speciem sapientiæ per superstitionem ac humilitatem animi &c. Col. 2. v. ult. ut sunt peregrinationes ad sacella Sanctorum: superstitiosa Jejunia, vigiliae, humicubationes, sacrificia Missatica & id genus gestulationes ridiculae: quæ omnia tantum absunt, ut bona dici mereantur, ut merito mala censeantur: tum ob mandati defectum: tum meriti affectum: iræ divinae effectum Matth. 15. v. 9. Cæterum ad calumniam Jesuiticam respond. quod olim B. noster Lutherus: Extra causam justificationis, nemo potest opera à Deo præcepta satis magnifice commendare, quis enim vel unius operis, quod Christianus ex fide & in fide facit, utilitatem & fructum satis prædicare potest? Est sane pretiosius quàm cælum & terra, ideoq; nec totus mundus, in hac vita, dignam potest mercedem reddere pro uno tali opere, neq; mundus hanc gratiam habet, ut opera piorum magnificat, multò minus ut ea recompenset. Tom. 4. Jen. lat. p. 109. Stapletonum, qui Prompt. Moral. p. 317. Anathemate ferit illos, qui operum negant meritum, & opera appellant Eucharistica, rogamus; ut parcat, tangit enim simul Fridericum Nauseam, Episcopum olim Viennensem; qui Cent. 2. Homil. p. 373. & 374. ita habet: à misericordia Dei nobis est, qui quid sumus & habemus: & qui quid agimus, est perinde atq; signum gratitudinis.



## QVÆSTIO IV.

An in statu peccati detur arbitrii humani  
libertas in rebus spiritualibus?

Affirmativam tenent Pontificii vid. tom. 2. Dn. Præsidis loc. de lib. arbit. §. 52. 53. 54. Probare hoc conatur Card. Bell. ex nostra parabola. Sic enim tom. 3. disp. col. 902. B. & C. Operarij hic dicuntur, qui bona opera ad salutem conducentia peregerunt. Ergo voluntas hominis prædita est libertate in omnibus operibus pijs & salutarijs, seu homines bona opera faciunt per liberum arbitrium. Idem lib. 6. de grat. & libero arbit. c. 10. Homo est operarius est rigator, est plantatur E. habet liberum arbitrium in actionibus pijs & salutarijs. c. 15. h. l. dicit: hominem habere liberum arbitrium ad opera pietatis & supernaturalia. Id. lib. 5. de G. & L. A. c. 12. 13. negat; liberum arbitrium esse amissum per lapsum primorum parentum. Qua in parte, ut in plerisque aliis cõsentit Scholasticis; Bieli in 2. sent. dist. 28. Scotto in 2. sent. dist. 28. Thomæ in eand. distinct. art. 4. & alijs, quos tamen lib. 5. de G. & L. A. c. 5. liberius, quàm par sit, pro libero arbitrio disputasse affirmat. Bellar. refutat Joh. Piscator in Anal. nostræ Parabolæ; sed dubitamus utrum idem dictum velit suo Theod. Bezzæ, qui in quæst. & Resp. lib. 1. fol. 621. dicit; homines gratiæ divinæ *ουνογενειν*, idem pluribus repetit Volum. 1. oper. pag. 666. suo Wolffg. Amlingo in Epist. ad Consil. Anhalt. ubi assensum voluntatis causam conversionis statuit. Nos Bellar. 1. ex Doctrinis suis Scholasticis Resp. Parabolicam Theologiam non esse argumentativam: cum ex solo literali non mystico sensu argumenta sint efficaciam, ut ipse Bell. habet lib. 3. de V. D. c. 3. 2. Nullam esse consequentiam: Homo est operarius in vinea Domini, E. ex virib. naturalibus. 3. Contrarium testatur Apost. 1. Cor. 2. v. 5. 13. 14. 2. Cor. 3. v. 5. 6. Ipsa nostra parabola; Non enim nostra sponte in vineam venimus, sed à patrefamiliâs vocati; quæ vocatio non importat nudam gratiæ oblationem, quæ forinsecus aures tantum ferit; (hoc n. Pelagianum est) sed efficacem gratiæ largitionem, per verbum & Sacramenta applicatam; quâ benè agere docemur & discimus, Pl. 51. v. 12. p. 179. v. 34. 35. Joh. 3. v. 3. 4. Sumus enim naturâ filij iræ, & in peccatis mortui Eph. 2. v. 1. 3. Col. 2. v. 13. Joh. 1. v. 5. Hinc 5. Arbitrium nostrum non liberum est, sed servum Joh. 8. v. 34. Rom. 6.



Rom. 6. v. 20. 2. Pet. 2. v. 19. Quod verissimum epitheton etiam D.  
August. Arbitrio tribuit Epist. 89. ad Hilar. in Enchirid. c. 30. lib. 3.  
contra duos Epist. Pelagii, citante Dn. D. Menz. in aurea. A. C. Exeg.  
p. 761. Unde 6. in conversionis actu Deus dicitur cor aperire Act. 16.  
v. 14. circumcidere cor Deut. 30. v. 6. purificare cor Act. 16.  
v. 9. Vivificare Eph. 5. v. 14. c. 2. v. 5. regenerare 1. Pet. 1. v. 3. vide  
plura, Decad. 3. Anthropol. Dn. D. Meisn. disp. 22. quæst. 5. Conclu-  
dimus igitur Bellar. cum toto Collegio Iesuitico, & omnibus alijs, qui ho-  
mini, in peccati statu existenti, naturalem *συγγενή* attribuunt, *παραγενή-  
την*, & Pelagij posterioris (uti quidam loqui solent) premere vesti-  
gia, quod clarissimè demonstrat Clariss. Dn. D. Meis. l. d. quæst.  
2. vid. etiam tom. 2. Giessens. disp. 15. de *συγγενή* lib. arbit.

## QVÆSTIO V.

An vana sit distinctio Ecclesiæ in visi-  
bilem & invisibilem?

Ita concludit Stapleton. ex Epiphonemate Christi, parabola  
nostræ subjecto: *Ecclesia vera & Catholica*, inquit, (in Relect.  
princ. contr. 1. quæst. 2. art. 1. citant Dn. Melfürero) *est multitudo  
per omnes gentes dispersa: sed electi, teste Christo, in fine hujus parabolæ,  
sunt pauci. E. electi quæ tales non constituunt Ecclesiam veram, sed qua vi-  
sibiles & vocati, & per consequens vana est distinctio Ecclesiæ veræ in visi-  
bilem & invisibilem* Idem docet Staplet. lib. 4. de principiis fid.  
c. 18. Pererius disp. 4. in c. 1. ad Rom. Hinc Eccius, *Ecclesiam in-  
visibilem videt, & dicit esse Ecclesiam Mathematicam, & ideam platonici-  
cam.* Sed rideat potius suam inscitiam & malitiam! Ex qua  
Pontificii falsam assumunt hypothesein tanquam veram: quasi nos  
statueremus Ecclesiam invisibilem esse separatam sive pecu-  
liarem extra & præter Ecclesiam visibilem, in aliquo *χωρῷ* exi-  
stentem. Sed nobis insignem inferunt injuriam. Notum est  
ex Scriptura sacra Ecclesiæ vocem sumi vel generaliter: vel  
specialiter: vel specialissimè: illo respectu quemvis cœtum Act.  
19. v. 39. illo, cœtum visibilem religionis causa convocatum Act.  
20. v. 28. 1. Cor. 10. v. 32. in quo verè electi & hypocritæ sunt:  
hoc, solos electos denotat, Matt. 16. v. 18. Uti videre est ex art. 7.  
& 8. A. C. & ejusdē apologia: vide etiam exquisitissimū schema  
Dn. D. Menz. p. 288. Exeg. Unde dicimus Ecclesiam dupli-  
citer



citer considerari, vel quatenus in sensus incurrit externos quoad præ-  
dicationem verbi & Sacramentorum administrationem, & hoc  
modo dicitur visibilis: vel quatenus externos sensus fugit, quoad  
internam fidei justitiam & sanctificationem, eatenus invisibilis  
est & dicitur: in qua homines sancti, quatenus homines, qui  
sacros cœtus frequentant, verbum Evangelii audiunt, & Sacra-  
mentis utuntur, sunt visibilis (hoc tamen sancti & nō sancti ha-  
bent commune) sed quatenus homines credentes, invisibiles  
(hoc sibi habent proprium.) Probamus hanc nostram assertio-  
nem 1. à fidei conditione, quæ non in aprico patet, sed in corde  
hominis latet Psal. 45. v. 14. Roman. 2. v. 28. 29. quam solus  
Deus videt, 1. Reg. 8. v. 39. 2. Tim. 2. v. 19. 2. Ex symbolo Apo-  
stolico: Credo sanctam Ecclesiam Catholicam: Fides autem  
eorum est, quæ non videntur Heb. 11. v. 1. qui igitur Ecclesiam  
invisibilem rident & credo in & video absurdè convertunt. 3.  
Exemplo reliquiarum in Israel 1. Reg. 19. v. 14. 18. credentium,  
qui quidem, quæ homines, visibiles, sed, quæ credentes homi-  
nes, invisibiles erant. 4. Dicant nobis Pontificij, quinam in cœtu  
aliquo vocatorum verè sint credentes: Non possunt scrutari  
hominum corda. Nec usq; adeo firmum est indicium operatio  
illa externa, quæ fidem sequitur Gal. 5. v. 6. quia omnis quidem ve-  
rè credens benè operatur: non autem omnis, secundum externam speciem,  
benè operans est fidelis; quia etiam hypocritæ in nomine Domini  
prophetant &c. Matth. 7. v. 22. Nec tamen 5. duplicem vel ge-  
minam fingimus Ecclesiam, sed unam veram agnoscimus, quam  
duplici respectu consideramus, vel quoad visibilia signa, vel  
quoad invisibiles notas. Diversa autem rei consideratio essentiam rei  
nec immutat nec geminat. Ad argumentum Stapletoni Resp. 1. In  
Majore propositione esse petitionem principii: Non enim ideo  
Ecclesia est vera & Catholica, quia per omnes gentes disper-  
sa, (sic enim Ariana olim fuisset verissima, quia universalissima)  
cum aliæ si it veræ Ecclesiæ notæ, præsertim fidelium ejus mem-  
brorum, quanquam aliàs Epitheton hoc (Catholica) Ecclesiæ  
meritò tribuatur. Ubi tamen hoc notandum, Ecclesiam dici  
Catholicam non tam propter universalitatē loci externam Ps. 19. v. 5.  
Col. 1. v. 6. non tam propter universalitatem subjectorum Gal. 3. v. 28.  
Eph. 2. vers. 14. quam propter universalitatem objecti, quod omnia  
sunt dogmata, quæ homines tenentur cognoscere Cyrill. c. 13. Catech.  
Unde



Unde *Catholici* olim dicebantur, qui per articulum de *S. S. Trinitate* &c. Distinguebantur ab *hereticis*, Cod. de summ. Trinit. l. cunct. popul. Et si Stapletonus Ecclesiam ideò tantum *Catholicam*. Vult dici, quia per omnes gentes dispersa, sanctam suam matrem insigni afficit injurià, quæ nec ad omnes partes *Africae*, nec *Americæ*, nec *Asiæ*, extenditur, & per Dei gratiam singularem, multis *Europæ* exulat locis: injuria afficit *Hierosolymitanam*, *Antiochenam*, *Samaritanam*, *Ægyptiacam* Ecclesias, quæ omnes ante *Romanam* fuerunt fundatæ. 2. In minore ita debebat subsumere: sed electi non sunt per omnes gentes dispersi: quæ propositio est manifestè falsa: Nam quousq; se extendit, ratione loci, universalitas Ecclesiæ visibilis sive vocatorum, eò etiam pertingit particularitas Ecclesiæ invisibilis, sive electorum. Non enim electi ideò dicuntur pauci, quia non per omnem terram dispersi, sed quia ad multitudinem vocatorum sunt grex pusillus: & proinde pauci sunt non ὀλιγὰς sed συγκριτικὰς ad multitudinem reprobatorum collati: Alioquin etiam *Multi venient ab Oriente & Occidente* &c. *Matth. 8. v. 11* Interim tamen minime probamus furorem *Anabaptistarum*, qui Ecclesiolas clam in domibus constituunt, quia scilicet Ecclesiæ sint invisibiles: Wider diese Binsel prediger! Vide *B. Lutheri* admonitionem Anno 1532. factam tom. 2. *Wittenb.* fol. 210.

## QVÆSTIO VI.

An credentes de salutis certitudine & divina gratia dubitare debeant?

Multum hic laborant *Jesuitæ* in excogitando verba *Sophistica*, quibus controversiæ statum satis lubricè formare queant. Uti in primis apud *Bellarminum*, & *Reihing.* fund. i. civit. sanct. pag. 13. est videre. Et hoc fit non tam propter Pontificiorum doctorum, dissensionem; quàm propter dogmatis sui absurditatem, & verbi divini claritatem, quod horum vespertilionum, ut ut lucem fugiant, perstringit oculos. Anno 1536. Dogma hoc de gratiæ divini dubitatione in *Enchiridio Coloniensi* fuit improbatum: cui subscripsit in *Moguntina* ditione, *Johannes Ferus*: item *Ambrosius Catharinus*, *Episcopus Minoricensis*: cui tamen *Dominicus Soto* contradicit, uti videre est in *Defensione Catholicorum ad legatos Concilii Bononiensis*. Verum

D

quic



quicquid fluctuent & concertent, certum est plerosq; impium  
hoc tenere dogma. Sic enim Concil. Trid. c. 9. sess. 6. *sed neq; il-  
lud asserendum est, oportere eos, qui verè justificati sunt absq; ulla omnino  
dubitatione apud semetipsos statuere, se esse justificados, neminemq; à pes-  
catis absolvi & justificari, nisi eum, qui certò credat, se absolutum & ju-  
stificatum esse: atq; hac solâ fide absolutionem & justificationem perfici,  
quasi qui hoc non credit de Dei promissis, deq; mortis & resurrectionis  
Christi efficacia dubitet.* Sententiam hanc C. T. ex Epiphonema-  
te Christi, parabolæ nostræ subjecto, probant Jacob. de Vorag.  
sermon. 3. h. d. p. 76. col. 1. Stapleton. text. 8. h. E. & part. 2.  
Dominic. XIX. post Trinit. text. 10. Multi vocati, pauci electi.  
*Totus, inquit, locus hic de assiduo timore saluberrimus, vix ex alio cap.  
fortius deducitur & dependet, quàm ex hac multitudine ingenti vocato-  
rum Christianorum, sed ingenti paucitate electorum.* Infirma pro-  
fecto structura, cujus firmissimum fundamentum infirmo est in-  
firmius! Sæpius hætenus, & verè, Theologi nostri docuerunt;  
hoc dubitationis monstrum ex commixtione legû & Evangelii generari,  
cum homines à Christo ad Mosen remittuntur, idq; ex verbis  
censuræ Coloniensis, quæ ita philosophatur: *Quia non possumus  
certò statuere, nos condiciones illas omnes, quæ in pœnitentia requirun-  
tur, ritè explevisse, manet perpetua dubitatio:* Verum Stapletonus  
noster haut obscure ad decretum Calvinisticum absolutum  
(à quo Bellarminus minimè abhorret libr. 2. de grat. & liber.  
arbitr. cap. 2. 8. 9. libr. secundo de Amis. grat. cap. 12.) respicit;  
quod dubitationis & desperationis mater est fœcundissima: Si  
enim dubitandum, quia pauci electi, utiq; quia absolutè electi:  
cum ordinaria & mediata electio nullam dubitationem causa-  
re queat. Sed dubitatio hæc Pontificia contrariatur 1. Scripturæ  
dictis manifestis, Rom. 5. v. 1. 2. Eph. 3. v. 12. ubi dubitatio cum  
*παρρησία & πεποιθήσει* consistere nequit. Jac. 1. v. 6. ubi non hæsitā-  
dum, nec dubitandum. 1. Joh. 3. v. 14. 1. Joh. 5. v. 19. 20. in quibus  
absurdè Bellar. *scientiam per conjecturas explicat.* 2. promissionum  
divinarum veritati, de qua ne tantillum quidem dubitandum,  
vid. Dn. Præsid. tom. 3. l. de Justif. § 81. & seqq. 3. Spiritus S.  
testimonio, quod credentibus perhibet Rom. 8. v. 15. 16. 1. Cor.  
2. v. 12. 2. Cor. 1. v. 22. Eph. 1. v. 13. 14. c. 4. v. 30. 1. Joh. 5. v. 10. 11.  
4. Sanctorum fidelium exemplis plurib. quæ Heb. 11. recensē-  
tur; in primis Abrahami Rom. 4. v. 12. 16. Pauli Rom. 8. v. 3. 8.  
39. 5. Scri-



39. 5. Scripturæ fini: quæ n. præscripta sunt, in nostram consolationem præscripta sunt, ut per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus Rom. 15. v. 4. sed si epiphonema parabolæ nostræ dubitationem docet, quomodo Scriptura spem docebit? Si Scriptura consolationem docet; quomodo eadem dubitationem? Ex dubiis certè neminem consolari valeo. 6. Ministerio verbi, per quod si peccatori vel publicè vel privatim loco Christi peccatorum remissio annuntiat, juxta Christi promissionem, omninò habetur certa & rata Matth. 18. v. 18. Joh. 20. v. 23. at vero si adhuc dubia est peccatorum remissio, etiam absolutio dubiis proponenda verbis: *fortassis Deus tibi remittet peccata; (sed fortassis remittit per fortassis non remittit, nullo negotio solvitur:)* ex quo quid homini contrito & peccatis onusto solatii accedat, quivis cordatus videt: Ad restim illi cum Juda currendum! 7. Sacramentorum certitudini: Si n. per Baptismum regeneratus (præsertim cum juxta *καθόλου* Pontificiam, non tantum reatus, sed etiam radix peccati extirpetur) dubitare cogitur de salutis certitudine: annon virtus & efficacia Baptismo negatur, Christo contradicitur Marci 16. v. 16. 1. Pet. 3. v. 21. Quod idem dici potest de legitimo corporis & sanguinis Christi usu in sacra cœna, qui non est nos dubias reddere, sed certiores facere de peccatorum remissione: adeò ut qui fide accedit, tam certus sit de gratia Dei, quàm certus est de præsentia corporis Christi, de qua nemo Christianus dubitat. Hinc Basilius ante S. Cœnam inter cætera orat: *Da ut non accipiam in judicium, sed eis ἐφ' ὅδιον ζωῆς αἰώνης, καὶ εἰς ὑπερόδεται ἀπλογίαν, τὴν ἐπὶ τῆ φοβερῆ βήματός σου.* Et Damascenus: *Dignare ut accipiam eis ἀρραβῶνα τῆς μελλούσης ζωῆς καὶ βασιλείας.* Omnes reservationes & exceptiones, quas Bellarminus hinc inde, & ejus complices, contra hæc Christianismi fundamenta, longo agmine producant, desumuntur ex armamentario pelagii: *Cum n. homo propriis viribus se ad gratiam disponere & possit & debeat; virtutis esse de sua indignitate, & dispositionis ad gratiam inhabilitate, humiliter sentire, & proinde de applicatione gratiæ dubitare.* Sed hoc, uno verbo, est Christianismum evertere! *ἡ ἰκανότης ὑμῶν ἐν τῷ θεῷ*, 2. Cor. 3. v. 5. qui juxta gratiosam promissionem in nobis operatur velle & perficere Phil. 2. v. 13. per verbum Marci 16. v. ult. per Sacramenta Joh. 3. vers. 5. Quo de quisquis dubitat mendacem facit Deum 1. Johan. 5. vers. 10. Sed ut calumniandi præcidamus materiam,



non docemus certitudinem hanc ipsos etiam attinere hypocrisis: nam cum non verè conterantur & ex corde credant, ipso jure & facto promissionibus Dei excidunt. Nec docemus quenquam in hac vita adeò esse perfectum, qui nullos unquam dubitationis sentiat insultus, contrarium testantur Scripturæ, dictis & exemplis: quæ tamen à Pontificiorum *dis diu nro* distat. Pontificii virtutem appellant: nos carnis infirmitatem: illi laudant; nos cum Christo Mat. 8. v. 26. reprehendimus: illi jubent; nos prohibemus: illa in perfectissimis esse statuunt; nos in infirmis; in quibus hæc carnis inbecillitas promissionibus Dei est corrigenda & emendanda, Capiant sibi Pontificii, dubitationis architecti illud Cypriani serm. 4. de mortalit. *Deus tibi de hoc mundo recedenti immortalitatem pollicetur & dubitas tu & fluctuas? Hoc est, Deum omninò non nosse: hoc est, Christum credentium Magistrum, peccato incredulitatis offendere: hoc est, in Ecclesia constitutum, fidem in domo fidei negare!*

## QVÆSTIO VII.

An Deus omnes omninò homines velit  
Ecclesiæ suæ aggregatos?

Negativam tenent Principes Calvinianorum: Polanus partit. Theol. mihi p. 149. Beza lib. 1. (citante Dn. D. Eckardo in fasciculo cont. p. 333. 337. &c.) volumine 1. fol. 685. In Actis Colloq. Mompel. p. 159. 170. 162. Petrus Martyr in loc. fol. 855. Zanchius tom. 1. Miscell. p. 241. *Hominum omnium, inquit, alii sunt prædestinati ad audiendum Evangelium, alii ad non audiendum. Ab æterno enim voluit Deus, ut aliquibus prædicaretur Evangelium, aliis quibus vero non. Huc pertinet illud Christi, Matth. 11. Gratias tibi ago &c. Eorum, qui audiunt Evangelium, aliis aperit cor ad intelligendum, datq; fidem, ut credant aliis non. Et hanc particularem ad redendum Christi vocationem, alii ex Epiphonemate Christi: Multi vocati, Pauci electi! probare nituntur: si enim, inquit, multi vocati: Ergo non omnes: cum multi non sint omnes. Sed attendendum hic non quæri: An verbum Dei semper ubiq; actu prædicetur: hoc enim propter varias causas non fieri in confesso est: sed hoc quæritur: Vtrum ex absoluto & causarum omnium respectu*



*respectum antecedente decreto. Deus aliquibus hominibus nolit verbum suum predicari?* Contra quam impiam Calvinianorum assertionem, producimus sequentia argumenta firmissima. 1. Dignitatem Patrisfamilias qui nullos, absoluto decreto, præterit operarios, sed vocat *omnes*, quotquot se conveniri patiuntur: simili studio Rex cœlestis vocat homines ad gratiæ cœlestis convivium Matth. 22. v. 9. 10. Cum enim 2. *gratia Dei* illuxerit omnibus hominibus Tit. 2. v. 10. *Omnibus* utiq; fuit annuntianda: Quod Deus ipse præstitit, cum *omnibus*, in Adamo lapsis, Messiam promisit Gen. 3. v. 15. Et secunda vice se Nohe ejusque posteris omnibus, qui tum *omnes* erant homines, manifestavit Gen. 6. v. 18. c. 9. v. 11. Cum enim velit omnes homines salvos fieri 1. Tim. 2. v. 4. 2. Pet. 3. v. 9. 3. Mandatum dedit severissimum, ut Evangelium ubiq; gentium prædicaretur Matth. 28. v. 19. *omni creaturæ*, Marc. 16. v. 15. quibus verbis tanquam fulmine Calviniana absoluti decreti percutitur fabrica: *omnis enim creatura* (i. e. omnes homines qui, juxta Gregorium *vel in orbis* creatura dicuntur) nō sunt aliqui tantum, quibus Deus ab æterno voluit prædicari Evangelium sed *omnes, quatenus creatura rationales*. 4. Mandatum fideliter sunt executi Discipuli & Apostoli, quorum sonus exivit in *omnem terram*, Psalm. 19. v. 5. Rom. 10. v. 18. (Major nobis Scripturæ autoritas, quam ut cum Bellarmino, per *omnem terram, pervenire* intelligamus *maximam terræ partem*) Col. 1. v. 23. Act. 2. v. 9. 10. II. c. 19. v. 10. Hoc 5. Testantur Veteres, Ambrosius lib. 2. de vocat. gent. c. 10. *Nulla pars mundi ab Evangelio vacat Christi: & licet illa generalis vocatio non quiescat, tamen & ista specialis nunc universa est & facta communis*. Similia habet Euseb. lib. 1. de præparat. Evang. Et tanta est veritatis vis ut 6. etiam ipsi adversarii rotundam extorserit confessionem: Muscul. Dusan. in loc. p. 359. *Gratia Dei, per Evangelii predicationem, omnibus communiter secundum divinam institutionem dispensatur, qua jussit Evangelium prædicari in orbe universo omni creaturæ, & doceri omnes gentes*. Sohn. tom. 1. p. 184. *Vocatio est universalis & omnes homines ad hoc beneficium Christi redemptoris amplectendum Deus invitat in utroq; Testamento. Quemadmodum enim corruptio hominum & liberatio per Christum facta universalis est: ita & vocatio*. Extant enim libri prophetici & Apostolici, in quibus omnes homines invitantur: nec



arretur. Ac dicat quis: Si Deus vult omnes homines ad se venire, quare non apud omnes semper personat vox Evangelii? Resp. Hoc non ad invidentis Dei opera, sed ad fastidientis hominis flagitia esse referendum. Deus quidem bonus est, sed & idem justus. Ex bonitate V. T. hominibus se revelavit: ex justitia multos, ab Ecclesia Dei deficientes, verbo suo privavit: *Contemptum n. verbi divini sequitur ejusdem ablatio*, Amos 8. v. 11. quæ tamen non propter absolutum Dei decretum, sed voluntaria hominum scelera contingit. Hinc in V. T. omnibus, qui ab Ecclesia defecerant, post penitentiam, patebat Ecclesiæ ostium: per quod reversi sunt Job Idumæus, Jethro Midianita, Urias Hethita, Rachab Cananæa, Ruth Moabitis, Nahæman Syrus, & alii procul dubio plures, quorum nulla fit mentio, cum tempore Apostolorum in Hierusalem habitarent viri religiosi ex omni natione earum, quæ sub cælo sunt, Act. 2. v. 5. In N. T. verbum Dei ubiq; prædicatum fuisse, præter Scripturas sacras etiam veterum historiæ testantur, Ireneus, Euseb. & imprimis Tertull. cujus hic insignis est locus in lib. advers. Judæos: *Christo & aliæ gentes crediderunt, Parthi, Medi, Elamitæ, & qui inhabitant Mesopotamiam, Armeniam, Phrygiam, Cappadociam & incolentes Pontum, Asiam & Pamphyliam, immorantes Egyptum: & regionem Africa, quæ est trans Cyrenen inhabitantes, Romani & incolæ tunc, & in Hierusalē Judæi & cæteræ gentes: ut jam Getulorum varietates & Maurorum multi fines, Hispaniarum omnes termini, & Galliarum divites nationes, & Britannorum inaccessa Romanis loca Christo vero subdita, & Sarmatarum & Dacorum & Germanorum & Scytharum & abditatum multarum gentium & provinciarum & Insularum multarum, nobis ignotarum & quæ enumerare minus possumus: in quibus omnibus locis Christi nomen, qui jam venit, regnat, utpote ante quem omnium civitatum portæ sunt apertæ, & cui nullæ sunt catuse. Sed quæ est regio, quæ depositum hoc servavit illibatum? Omnes fermè aut novitatis studio accensæ, aut scelerum cæstro percitæ, iram sibi divinitatis collegerunt, hæreses varias introduxerunt: Africa & aliæ plures regiones, quæ olim Christi Evangelium, nunc Machometi tenent Alcoranum. Ubi Roma, cujus fides olim in toto annuntiabatur mundo? Rom. 1. v. 8. Nunc Circes stabulum est, in quo omnes scortationis philtro fascinantur Ap. 18. v. 3. Virgo eratq; pura, at nunc turpissima meretrix, quæ præter externam speciem nihil habet.*



habet. At videri cui posset iniquum etiam infantes ingratitude pœna  
 luere. R. Deus summè misericors, nunquam illos puniret nisi  
 multis modis essent meriti: interim nequitia Parentum ple-  
 runq; dupla in filiis conspicitur: & cum Parentes *Regina Mele-*  
*chet faciunt placentas, filii ligna colligunt*, ut Jeremias Propheta, con-  
 junctum Parentum & filiorum studium in sectando idola, gra-  
 phicè depingit c. 7. v. 18. Ad argumentum ex textu desumptum.  
 R. vocabulum *Multi*, hîc nequaquam διαμετρικῶς, sed συμπληρωματικῶς  
 esse accipiendum: quia n. paucitas electorum opponitur multi-  
 tudini vocatorum necesse est, ut multi accipiantur pro omni-  
 bus ( si cui ita philosophari lubet ) alioquin oppositio nulla  
 erit: sed ita dicendum: pauci vocati; pauci electi: quod repu-  
 gnat omnib. circumstantiis parabolæ. Hæc igitur vera est sen-  
 tentia. Multi i. e. omnes quidem vocati, sed pauci electi. Nec  
 insolens in aliis Scripture locis ejusmodi vocabuli (multi) usur-  
 patio: Daniel. 12. vers. 2. רַבִּים מִיִּשְׂרָאֵל & multi de dormienti-  
 bus &c. quod Joh. c. 5. v. 18. ita interpretatur: Omnes, qui in  
 monumentis sunt &c. Alii plura collegerunt exempla.

### QVÆSTIO VIII.

An Deus omnes homines, quos per verbum  
 alloquitur, serîo ad regnum gratiæ vocet?

Negant gens Calviniana, dicens: Deum forinsecus mul-  
 tos ad regnum gratiæ vocare, quos intus ab æterno, absolutè,  
 æternæ damnationi mancipaverit: illud fieri voluntate signi;  
 hoc verò voluntate beneplaciti: quia Deus interdum in verbo signi-  
 ficet se velle, quod reverà non vult, aut nolle, quod reverà vult, uti loqui  
 Piscatori libet th. 76. de prædest. vel, ut idem inquit th. 84. quia  
 Deus, non semper vult, quod se velle significat, sed interdum simulat. id  
 quod Bez. bonum dolum appellat Ref. 2. ad Colloq. Momp. p. 174.  
 Summa crudæ hujus Theologiæ huc redit: Deum aliud in verbo  
 suo de hominum salute revelasse: aliud verò, & diversum planè in occul-  
 to retinuisse, uti colligere est ex Perkinso. de Prædest. p. 18. Bez.  
 volum. 3. fol. 410. Resp. 2 ad Colloq. Momp. pag. 68 173.  
 Zanchio, Trelcatio & aliis. Verbum quidem Dei voluntate signi  
 predicari reprobis, non in hunc finem, ut illuminentur, sed ut indu-  
 rentur. Beza Resp. 2. ad Colloq. Momp. pag. 149. quanquam  
 A. Po.





A. Polanus lib. i. part. Theol. p. mihi, 149. 150. dicat, *Verbum Dei, quia in cordibus reproborum locum non inueniat, vel evenescat, illis esse in mortis odorem, & gravioris condemnationis materiam, dum evicti de oblatâ à Deo gratia sunt in perpetuum inexcusabiles.* Nos impiæ distinctioni voluntatis signi & beneplaciti, cum sanioribus Theologis talem syllogismum opponimus. Quæcunq; distinctio pugnat 1. cum religionis Christianæ fundamento. 2. abducit homines à Scripturis. 3. Deum facit hypocritam. 4. Negat sufficientem Evangelii manifestationem. 5. Sacramentorum finem evertit. 6. ad desperationem parat præcipitium; illa ut absurda, impia & orthodoxa ad oreum est damnanda. Calviniana distinctio voluntatis signi & beneplaciti talis est. E. Minor probatur ordine. 1. Fundamentum Christianismi sunt Scripturæ Prophetiæ & Apostolica Ephes. 2. v. 20. Matth. 16. v. 18. Sed voluntas beneplaciti in Scripturis non comprehenditur, quibus contraria fatente Joh. Pisc. in c. 23. Matth. p. 573. edit. secundæ. E. 2. Cum igitur in Scripturis distinctio hæc non sit fundata, à verbo Dei ad proprias speculationes obducimur contra illud Esa. 8. v. 20. Joh. 5. v. 39. 3. Facit Deum hypocritam, *Quicumq; omnes vocat, nec tamen vult omnes ad se venire, aut ad se venientes servare, is simulare, ludere imponere dicendus est* (is est hypocrita) Ursinus, part. 2. Expl. Catech. p. 226. *Deus lingua profitetur, per Ministros Evangelii, se reprobos, quos in turba Electorum alloquitur velle credere & tamen non vult eos credere,* Piscator thes. 171. de Prædest. Bez. R. 2. ad Colloq. Momp. p. 172. E. (ex propositionib. Calvinianis Calviniana sequitur conclusio) *Deus est hypocrita. Quod Calvinianis Doctoribus fortassis absurdum non videtur: Cum Johannes Piscat. in Resp. ad Apolog. Petri Berrii Anno 1615. edita, mihi p. 145. dicat: absurdum non esse, Deum interdum falsum loqui: scilicet juxta illud Johan. 14. v. 61. Sam. 15. v. 29. Heb. 6. vers. 18. 4. Testatur D. Paulus se omne nobis consilium Dei annuntiasse Act. 20. v. 27. sapientiam Dei in Mysterio 1. Cor. 2. v. 7. quod Mysterium nihil aliud est, quàm ipsa Evangelii, quod omnes salutis causas enarrat, prædicatio Rom. 16. v. 25. 26. At verò D. Paule! ubi occulta voluntas beneplaciti, princeps salutis causa, quâ Calviniani nobis prædicant? (Respond. Paul.) *Miror quod à Christo, qui vocavit vos per gratiam, adeò citò transferamini in aliud Evangelium: quo non est**



est aliud, nisi quod quidam sunt, qui turbant vos, & volunt invertere Evangelium Christi. Caterum etiamsi nos, aut Angelus e caelo predicaverit vobis Evangelium, praeter id, quod praedicavimus vobis, anathema est! Gal. 1. v. 6. 7. 8. 5. Baptismus ex consilio Dei, est certissimum signum, non tantum obsignans, sed etiam conferens regenerationem, quae per Baptismum efficitur Joh. 3. v. 5. Tit 3. v. 4. Eph. 5. v. 26. per S. Cœnam Christus fidem confirmare constituit Luc. 22. v. 19. 1. Cor. 11. v. 24. 25. Sed quomodo hoc Dei consilium cum voluntate Beneplaciti stabit, cujus respectu, gratiam hanc in Sacramentorum dispensatione, omnibus ne quidem offert, & anxium peccatorem redundabit si audiat? Deum quidem voluntate signi, omnes ad se vocare, quos voluntate beneplaciti nolit ad se venire, quippe qui non omnibus, sed paucis tantum, qui verbum praedicatum audiunt, sit daturus fidem: possibile esse ut ille sit in eorū numero, quos Deus seriò vocet internè: sed & possibile esse, ut in reproborum sit numero, quos tantum externè alloquitur. An putatis Calviniani! hoc aliquid adferre solatii? Neutiquam putate! Videmus enim ejusmodi homines tentatos, omnia in deteriore rem rapere partem: & Diabolum sapius universalissima pervertere dicta; quid de particularibus faciet, qui peritissimus logicus optimè novit: Ex meris particularibus nihil firmi concludi. Deniq; ex Calvinianis quærimus: quomodo verbum Dei (absoluto decreto) reprobis sit futurum odor mortis & gravioris damnationis materia, dum evicti de oblata à Deo gratiâ in perpetuum sint inexcusabiles? Quid enim reprobis cum verbo Dei, ad quos absoluto decreto non pertinuit? Quomodo evicti de gratiâ Dei oblata, cum tamen Deus, absoluto odio, gratiam nunquam communicandi animo obtulerit? Quomodo erunt inexcusabiles; cum tamen (ex absoluto decreto) credere non potuerint, Polanus in præf. disp. 1. Vol. 1. ad Bezam. cum verbum illis nunquam fuerit praedicatum, ut illuminentur. Bez. Resp. 2. ad Colloq. Momp. p. 149. Certè excusabiles videntur reprobi, qui ad interitum (juxta Calvinianos) creati: quos Deus ab æterno ad interitum destinavit, quibus (absolute) ex mero beneplacito fidem dare noluit &c. Cerrè in novissimo die exclamabunt. Tu severissime judex, quare nos æterno devotes supplicio, quod declinare nullo potuimus modo: verbum tuum, juxta

E mandatum,



*mandatum, audivimus, sed quare fidem non dedisti, sicuti ceteris? Tu, Tu causa perditionis nostræ & autor! Quod absit, ut de Deo nostro somniemus: interim Calviniani deliberent: quomodo Dei misericordiam & justitiam velint defendere!*

## QVÆSTIO IX.

An electio ad vitam æternam propriè sic dicta sit universalis omnium hominum sive credant, sive non credant?

Ita contra Scripturam asserit D. Huberus, vir alioquin doctissimus. Sic enim scribit in Germ. brevi adm. lit. B. *Doceo & credo Deum per Christum ad vitam ordinasse & elegisse omnes homines.* Idem asserit pluribus in confut. brevi p. 30. Item, part. post Act. Huber, An. 97. Tübing. ædit. p. 75. Nos Hubero opponimus clausulam parabolæ nostræ, quæ nulla vi aut Sophisticatione elidi aut eludi potest: quæ repetitur Matth. 22. v. 14. cum qua conspirant dicta Joh. 15. v. 19. c. 17. v. 6. Electio enim 1. nõ est absoluta; sed in Christo facta Eph. 1. v. 4. In Christo autem nemo est nisi per fidem Joh. 1. v. 12. Gal. 3. v. 26. Hinc 2. eligi dicuntur *οἱ μέλλοντες πιστεύειν* 1. Tim. 1. v. 16. *ὅς περιέγραψεν* Rom. 8. v. 29. Nec 3. proprietates, quæ electis competunt Rom. 8. v. 33. 35. Col. 3. vers. 12. 2. Tim. 2. v. 19. Tit. 1. v. 1. infidelibus possunt attribui. Infirmior est distinctio inter *ἐκλεκτὸς* & *ἐκλελεγμένος*, quàm ut quicquam obtinere valeat. Destituitur enim 1. Scripturæ fundamento. Usurpatur 2. in Scriptura indifferenter Marci 13. vers. 20. Ubi *ἐκλεκτοὶ* dicuntur *ἐκλελεγμένοι*. Quod verò vocabula hæc (*ἐκλεκτοὶ* & *ἐκλελεγμένοι*) non tantum *ἀντισέφοροι*, sed etiam *ἀντίπροφα* sint, docet Paulus 1. Cor. 1. v. 26. 27. ubi titulus *ἐκλελεγμένων* infidelibus negatur & credentibus tribuitur. 3. ipse Huberus hæc vocabula confundit in disp. de universal. redempt. totius gen. Hum. th. 737. ubi illos, qui à fide deflectunt *ἐκλεκτὸς* appellat. Stat igitur firma conclusio Christi & nostra: *Multi vocati, pauci electi*, Absit tamen longissimè ut absolutum Dei decretum, cum Calvinianis, causam particularitatis statuamus. Quinimò contra Calvinianos sonora voce urgemus & inculcamus 1. *Gratiam Dei*, quæ apparuit omnibus hominibus Tit. 2. v. 10. 2. *Meritum Christi*, quod præstitum pro



pro toto mundo 1. Joh. 2. v. 2. 3. Universalem ad hujus participationem, Vocationem Col. 1. v. 28. Cujus quod minima pars fit particeps, homines ipsi in causa sunt Matth. 23. v. 37. Luc. 19. v. 44. Joh. 1. v. 5. 11. c. 3. v. 19. Rom. 2. v. 4. Heb. 6. v. 6. c. 10. v. 26.

## QVÆSTIO X.

An Valentinianorum delirium de triginta Æonum generatione in parabola nostra fundatum?

Ita quidem amentes illi homunciones somniabant: Delirium illorum ita habet: *Finxerunt illi duo rerum omnium principia: profundum & silentium*, *βυθόν καὶ σιγήν*, quam primam *πρῶτην αἰῶνα* appellarunt: ac profundum quidem dixerunt esse patrem, & silentiū matrem; & ex eorum conjugio prodiisse intellectum & veritatem, *ἴσθην καὶ ἀλήθειαν*, secundum videlicet *αἰῶνα πρῶτον*: Et hanc in honorem Patris protulisse octo Æonas. De intellectu verò & veritate processisse verbum & vitam, *λόγον καὶ ζωὴν*, tertiam *τρίτην*, & ab hac prolatos esse Æonas decem. De verbo & vita processisse hominem & Ecclesiam, quartam *τέταρτην*, & hanc protulisse Æonas duodecim, atq; ex his octo, decem, & duodecim, simul collectis fieri triginta Æonas, D. Pappus in Epit. Hist. Ecclesiast. mihi, p. 309. Addunt Centuriat. Magd. Cent. 2, Col. 87. Valentinianos dixisse, Salvatorem Christum, *Mysterium horum æonum ea ipso ostendisse, quod per triginta annos in manifesto nihil fecerit*: In primis magnum præsidium se invenisse somniarunt in parabola nostra de operariis in vinea, quorum alii circa horā primā, alii circa tertiam, alii circa sextam, reliqui circa nonam & undecimam in vineam missi sint, quæ hora conjunctim sumptæ efficiunt triginta, qui numerus typus sit triginta Æonum. Verum nugas has recitasse est refutasse, & risu quis meritò exciperetur, qui multum hinc perderet operæ. Novimus hæc alienissima à scopo parabolæ, & fidei *ἀναλογίαν* evertere. Interim merito stupemus & miramur ingentem Diaboli vim in excæcandis hominibus, qui se à verbo Dei abstrahi patiuntur, quibus absurdissima quæq; persuadet, postea, ut speciem habeant veritatis, verbo Dei colorare laborat.

Catalogus



*Catalogus erronearum propositionum, que in  
Postillatoribus Pontificiis occurrunt.*

Ad te, O Maria, regina misericordiae, clamamus exu-  
les filii Evæ in hac lachrymarum valle, ad te suspiramus gemen-  
tes & flentes &c. Nauseas Cent. 4. hom. sept.

Latro unâ confessione regnum Dei adeptus est. Gra-  
nat. p. 125.

Famulorum & famularum servitium est Deo acceptum  
& meritorium. Discip. de temp. sermon. 33.

Pœnitentes per laborem pœnitentiæ à Deo accipiunt merce-  
dem æternæ salutis. Jacob. de Vorag. serm. 3. in D. sept.

Major erit virginitatis quàm nuptiarum (ex merito)  
remuneratio. Salmeron.

Iejunium in peccatore, oblatum Deo valebit, ut eum  
ad gratiam suscipiendam disponat, oblatum à sancto vitam  
æternam promerebitur Salm. sect. 22.

Divi omnes in cœlo advocandi sunt, ut vineæ operam  
præstent suam. Barrad. lib. 5. Comment. c. 20.

Christus vitam æternam partim ut filius naturalis; par-  
tim promerendo (sibi) obtinuit. Costerus.

Es kan niemand/ der zu seinem Verstand kommen ist / obit  
den Fleis guter Werck selig werden. Piscator Calvinista, in Bibliis  
Germ. Doct, 6. c. 20. Matth.

F I N I S.





94 A 7385

ULB Halle  
002 728 095

3



VD17






1. An die ...  
2. ...  
3. An die ...







B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

A TIO

13

nicæ Septua-

OVA.

I D E

ERHARDO

T PROFESSORE

næ p. t. Rectore  
neolog. Decano  
o.

*tronò colendissimo,*

*proponit*

RMANNUS

is Suevus.

*decembris.*

XVII.

Æ

INMANNI.

